

Illustrissimi, ac reverendissimi domini delegati, ac reverendissimi patres

Domini oratores sacrae Cesareae Magestatis domini nostri pientissimi officij sui ratione, ac singulari quoddam sanctae romanae ecclesiae auctoritatis et potestatis propagandae studio adducti, faciendum sibi existimant, ut reverendissimas dominationes vestras nonnullis de rebus amonerent, antequam ad dicendas sententias veniretur, quae quidem res hujusmodi plane sunt, ut his veluti fundamentis quibusdam tota praesentis consultationis nostrae summa niti videatur.

Ac primum inde initium summatur, auditi sunt per hosce dies omnium ordinum theologi de prepositis, per illustrissimos dominos legatos articulis, praeclare illi quidem, et copiose, sed ad regnorum, et provinciarum exterarum statum, ac rationem non satis accomodate discrentes.

Nec vero mirum id videri debet, etnim ita illi felici sidere sunt nati, et in ijs a Deo maximo regionibus collocati, in quibus integra ad huc sunt omnia, ut suis tantum bonis, suis illi felicitate contenti, de alienis malis, deque ijs miserijs quibus exterae nationes conflictantur non magnopere solliciti esse videantur, praecandus est Deus omnipotens ut hanc illis felicitatem diuturnam esse velit, utinam vero eo loco res nostrae essent, ut nos quoque ad istam tranquillitatem aspirare possemus, sed ut res irecepit (*sic*) nisi nos Deus misericordiae suae oculis aspexerit, et sacrosanctum hoc aecumenicum concilium, pro sua begnitate nostris rationibus consuluerit, magnopere verendum est, ne ijs etiam quae nunc quidem pessima esse videntur non ita multopost, deteriora in ecclesia Dei suboriantur.

Qua propter reverendissimas dominationes vestras ijdem oratores vehementer rogatas volunt, ut haec pauca quae nunc perlegentur, attente audiant, diligenter considerent, ac suis ponderibus examinent, atque addicendas sententias comparent, ut rationem ac omnem curationem suam, non tantum ad sanas et incolumes reipublicae christianae partes accomodent quae nullo remedio egent, sed morbosa et male affecta ecclesiae membra, ob oculos proponant, in que illis ad pristinam sanitatem revocandis, omnes curas, omnes suas cogitationes defixas habeant.

Id autem longe commodius fiet, si prius quae sint illae partes, quae vestram opem, auxiliumque implorant ac quomodo affectae sint, quam optime intelligatis. Primum igitur de Boemiae regno, postea de alijs dicendum est idque quam fieri poterit brevissime.

Nihil opus fuerit rem altius, eam videlicet a Constantiensis concilij exordio repetere, neminem enim hic esse arbitrantur, qui illorum temporum historiam plane cognitam non habeat. Illud dicendum est tamen ab eo usque tempore eam in Boemia retentam esse consuetudinem, quam nulla concilia, nullae rationes nulla unquam vis, nec ipsa arma et bella eripere potuerunt, ut populo etiam calix, in communione a sacerdotibus praeberetur, a quo quidem calice, ea populi pars quae hujus factionis esset, Calixtinorum sive subutraque nomen accepit, atque haec quidem factio latissime in eo regno principes, et primarios etiam viros, ac magistratus quosdam complectitur.

(1 v.) Antea quidem huic parti benignissima (*sic*) mater ecclesia, pro ea potestate, quam a Deo habet, pro rerum ac temporum ratione, leges et constituendi, et abragandi, certis quibusdam conditionibus permiserat ut calice uti possent.

Postea cum ut fieri assolet, non satis religiose, nec vero conditiones et pacta diligenter illa servarentur, permissio illa cepta esse, a Pio II° Pontifice Maximo revocari sed cum Sedes Apostolica aberrantem hanc ovem, ad ceteras aggregare cuperet. Primum Paulus III — deinde etiam Julius III — felices recordationis summi pontifici nuntijs quibusdam suis, negotium dederunt, ut Bohemis in aecclesiae gremium receptis, calicis usum permetterent. Tunc etiam inchoata, sed propter graves quasdam difficultates impedita, res perfici non potuit.

Deinde Caesarea Magestas, domini nostri Clementis 4.° hoc tempore post centum 40 fere annos pro singulari sua pietate, ac christianae et chatolicae (*sic*) religionis nostra conservandae et propagandae studio, cum unicum in illo regno Praghensem archiepiscopatum veluti a mortuis excitaverit, et magnis curis et laboribus, sumptibus, ac expensis fundaverit et constituerit, visum est sacrae ejus magestati si unquam antea nunc commodissimam iniri posse rationem ut in dita illa natio, tota ad sanctae romanae ecclesiae matris nostrae obedientiam jam tandem veluti post liminum reverteretur.

Presertim vero, cum ipsi calixtini, qui et sub utraque vocantur in proximis comitijs bohaemicis publice sacrae Cesareae Magestati supplicarint, dignaretur suas apud sanctissimum dominum nostrum partes interponere, ut eorum sacerdotes non ab alio quoque sed a novo archiepiscopo ordinarentur. Promiserunt autem hoc si impetrent daturos se operam, ut ipsi eorum presbitteri. Dominum archiepiscopum pro legitimo eorum prelato agnoscant et obedientiam illi prestent.

Itaque per reverendissimum dominum episcopum Pharensensem, qui nunc apud sacram ejus magestatem sanctissimi domini nostri nuntium

agit, ac per magnificum dominum Prosperum comitem ab arco, sacrae ejus magestatis Romae oratorem a sanctissimo domino nostro postulavit, ne tantam tamque optatam ecclesiae restituendae, ac conservandae occasionem de manibus sibi elabi pateretur.

Sanctissimus autem dominus noster totam hanc rem ad vestram illustrissimi domini legati, et reverendissimi patres, disceptationem, et vestrum juditium rejiciendam putavit vestrae igitur pietatis fuerit nobile illud regnum ecclesiae catholicae conservare, quod tum demum fiet si neccessarijs de causis, calicis usus illis permittendum esse putaveritis, in reliquis vero rebus aut omnibus cum sanctissimae romanae ecclesiae, matris nostra institutis consentiunt, aut in paucis quibusdam a recta illa via deflexerunt, sacerdotibus illi non alijs unquam uti voluerunt, quam qui celibem vitam agerent, et quos a catholica, et communionem Sedis Appositica habente episcopo legitime ordinatos esse constaret.

Solent illi inter alias preces suas, et sanctissimi pontificis et sacri cardinalium collegij, episcoporum, ac universis status ecclesiastici et ordinis meminisse, ac Deum pro eorum incolumitate et felici rerum successu, in publicis supplicationibus et letanijs exorare, populumque ad id faciendum frequenter in contionibus cohortari. Quod ipsum satis indicat quomodo erga romanam ecclesiam sint affecti si quid autem est omnino in reliquis rebus in quibus sanctae romanae ecclesiae recta doctrina, discesum est, id nullo prope negotio, emendari ac corrigi poterit, modo calicem quem tantopere expetunt vestra begninitate consequantur.

(2) Nec vero mirum est si rudis et imperita multitudo in eum errorem induci potuit, ut sine magno conscienciae scrupulo a calice abstinere non posse se persuasum habeat, cum etiam peritissimos et maxime pios ac catholicos viros eam sententiam multis rationibus tueri videamus, ut subutraque quam sub altera tantum specie communicantes maiorem consequi gratiam arbitrentur vestra isti misericordia digni sunt patres sanctissimi quare diligenter et begnine provide, ne per nimiam vestram severitatem in eam desperationem adducantur, ut cum nullum apud vos misericordia sibi locum esse relictum esse sentiant, ad sectarios transeant a quibus quidem magno studio magna diligentia, omnibus artibus, omnibus illecebris perpetuo ad refectionem sollicitantur sunt in alijs etiam clarissimis ac nobillissimis regnis ac provincijs, pij quiddam et catholici viri, ut in Ungaria, in Austria, in Moravia, in Silesia, in Carintia, in Carmila, in Stria, in Bavaria, in Suevia per multis alijs Germaniae partibus, qui magno quoddam zelo, calicem sibi dari expetunt.

Non fuit hoc ignotum Paulo 3.<sup>o</sup> felicis recordationis Pontifici Maximo qui omnibus per Germaniam episcopis facultatem concessit, sub utraque specie communicandi eos quae devotionis causa subutraque valent, quam sub una communicare. Sed ne haec quidem propter gravissima quaedam impedimenta ad effectum perducere potuerunt, eadem fere est ratio idem de alijs quoque nationibus quas paulo antenominavimus, periculum est ne

si calix eis adimatur ad lutheranos ac alios sectarios transfugiant. Nec vero existimare debet quisquam, quod hisce diebus publice a theologis disputatum est eos qui calicem petunt, prorsus hereticos esse. Quis ignorat nullam esse nobis cum hereticis communionem! nec esse debere non haec hereticis, sed his procurantur, qui alijs in rebus et catholici sunt, et obidentes se sanctae romanae ecclesiae filios prebent. Quod si hoc ipsi a vestra benignitate consequantur, magna spes est plurimos etiam hereticos, qui ob unam hanc rem a nobis desciverunt ad nos iterum reversuros esse.

Audiuntur a nobis non pauci, passim in medijs sectariorum gregibus versantes, qui palam profitentur, si subutraque specie eucharistiam sumere liceat, cupidissime sese ad nos transire vellet. Certe preterquam quod equiores deinceps se nobis preberent heretici, dictis etiam nostris facilius ac libentius aures accomodarent, et libentius se in vestram disciplinam traderent, sic etiam confideremus fore ut sacrosanctum missae sacrificium, longe in maiore veneratione esse inciperet. Plurimus jam tot novitatum tedet, qui hoc uno remoto impedimento, libentissimis animis ad nos se recipere, quod si quo casu haec illis utriusque speciei communicatio non permitatur contraria omnia sunt pertimiscenda.

Jam siquis est qui querendum existimet, quod etiam hisce diebus auditum est, quis ille tandem sit, qui haec petat? En sacra Caesarea Magestas, a sanctissimo domino nostro petit est domino archiepiscopo Pragensi calistinos sacerdotes ordinare liceat id autem fieri nullo modo potest, nisi illi prius in ecclesiae gremium recipiantur, recepi autem non poterunt si ritu scismatico, propria autoritate calicis sibi usum usurpent, ac mordicus retineant. Ad sunt etiam Chavodienses, et Tinienses ex Ungaria domini archiepiscopi, et episcoporum Ungariae nuncij qui humiliter supplicant, ut aliqua ratione illius regni ecclesijs ab hoc sacrosancto oecumenico concilio provideatur, non enim alia ulla ratione, plebs atque adeo jam ipsa etiam nobilitas in officio contineri potest.

Ac nisi hac illis spes, in hunc usque diem facta fuisset, futurum ut in hoc sacrosancto oecumenico concilio calicis usus a vestra bonitate; ac charitate amplissima, patres ipsis impetraretur (2 v.) exiguas jam catholicae religionis ac sanctam romanam ecclesiam, et Sedem Apostolicam obedientiae illis in partibus reliquias haberemus.

De Ungaria quidem hoc certo affirmare possumus eo jam ventum esse, ut sacerdotes per vim etiam ad calicis porrectionem adigantur, quod ni faciant bonis ecclesiasticis direptis magnum infortunium, atque adeo vitae periculum non evitent. Fuerunt ex illius regno episcopi nonnulli pij viri, atque ecclesiasticae disciplinae, et consuetudinis observantissimi in primis autem reverendissimus dominus Strigoniensis archiepiscopus qui hos tales sacerdotes exilio, atque alijs penis ob hanc causam multaverint factum jam est, ut tum illis tum alijs etiam catholicis presbiteris prorsus careant.

Ita fit (quod vix sine lachrimis dici non potest) ut infantes sine baptismo, et intereant, et adolescenti viri, ac feminae omnium ordinum, omnis

aetatis, belluarum more, in summa Dei ignoratione et vivere, et mori cogantur, ita nihil proprius est quam, ut ad paganismum reddeatur, sunt enim loca non pauca in quibus, a multis jam annis, quod nullus sacerdos est visus, qui rudem, et imperitam plebem ad christianae pietatis normam instituere, atque erudire queat hoc quoque ad summas, atque innumerabiles illius regni misérias accedit, cujus vos, patres amplissimi miserescite, et qua ratione hos tantos, totque populos in sanctae romanae ecclesiae fide conservare, et alios quam plurimos hac de causa a nobis profugos ad nos iterum retraere possitis, aliquam jam tandem cogitationem suscipite.

Haec sunt quae dicenda videbantur, quae ut dominationis vestrae reverendissimae in optimam partem interpretentur, et totum hoc negotium diligenter perpendere velint, iidem domini oratores etiam atque etiam vehementer rogant, quae tamen omnia, sanctissimo et prudentissimo iudicio vestro subjecta esse volunt.

(B. R.)